



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

Paullini, Christian Franz

Francofvrti ad Moenvm, 1698

LI. Eberhartus

urn:nbn:de:hbz:466:1-44860

Monasterio. Imò huic Ecclesiam suam ad sex annos tradidit. *Adolphus* contra castrum *Franckenstein* à se captum Monasterio subdidit. Antea quidem *Bertholdus* II. id expugnauerat. (e) Acquirat etiam *Wyldeck* cum pertinentiis. *Salzingen, Gerstingen, Waldenburg & Fürstedeck*. Prædonum castra destruxit, eosque dissipavit. AD. MCCCVI. *Hermanno*, Landgravio Hassiæ, conditionaliter vendidit opidum *Fach* pro MCC aureis, sic tamen, ut post sex annos rursus emere velit & possit. Sed in hunc usque diem non factum est. Alvi fluxu moritur *Hamelburgi* AD. MCCCXIII. XII. Kal. Mart. Prælatuæ XXV.

LI. *Eberhartus.*

LI. EBERHARTUS.

E' familia *Rodenstein*, Professus Fuldensis, Abbas optabilis, qui Ecclesiam multis debitis gravatam liberavit. Moritur AD. MCCCXIV. Prælatuæ I.

LII. *Henricus VI.*

LII. HENRICUS VI.

E' familia de *alto monte*, Professus Fuldensis, postea Præpositus Monasterii *Holtzkirchen*, (quod vel *S. Bonifacius*, seu discipulus ejus *B. Sturmio* condidit, non procul opido *Wertheim*,) deinde Decanus Fuldensis, electus AD. MCCCXIV. Insulam accepit à *Johanne XXI.* AD. MCCCXVI. Bellum ei cum Episcopo in *Würceburg* ob castrum *Wyldeck*, & AD. MCCCXIV. cum *Henrico*, Landgravio Hassiæ, ob *Alsvelt*, quod opidum Abbas obsidebat, *Henricus* verò, Comes de *Henneberg*, *Hermannus* III. Filius, retrahere eum volebat, sed captus ab illo. Pax verò facta per *Matthiam* Maguntinum. AD. MCCCXXX. magna civium Fuldensium seditio, quem ignem semper insufflavit *Johannes* de *Zigenhayn*, Advocatus Ecclesiæ; Abbas tamen victor mansit. (f) Eòdem annò cum Comite dicto de *Henneberg* transegit propter bonum castrense in *Saleck*. (g) Etiam cum *Henrico* Landgravio contra Comites de *Zigenhayn* & *Ysenburg* aliquid tentavit; (h) arcem novam construxit in *Fulde* & *Geys*, fodi jussit fontem in monte *B. V.*, multa altaria & capellas fundavit. *Salmönster* jus civitatis acquisivit, idque muris & portis munivit. Varia & pretiosa ornamenta de auro & argento dedit: *Corporis Christi festum* introduxit, *Brackenu*, *Stoltzberg*, *Soden*, & alia loca Ecclesiæ incorporavit. Monasterium *B. V.* mirificè auxit & ornavit ædificiis, decimis & aliis rebus, & multa alia præclara fecit. AD. MCCCXLIX. Judæi in malitia sua unanimes clanculùm volebant omnes simul cives in *Fulde* occidere. Sed scelus hoc proditum est, & faba in Apellas cusa, ut eorum sexcenti miserè necati cum

(e) Chron. Henneberg. L. II. c. 29. p. 114. (f) Vid. Brovver. L. IV. p. 321. seq. Fabric. l. c. p. 153. (g) Vid. chron. Henneberg. L. IV. c. 3. p. 143. (h) Fabric. l. c.